Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

8. Decembris. 6. Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

debes voluntariè ſacrificare; quod à proximo, patienter ferre; quod à Deo, ſinè murmure & cum gratiarum actione ſuſtinere.

8. *Decembris. 6. Idus.*

Obijt anno 1383.
B. JOANNA Abbatiſſa Caſtrenſis in Luſitania: quæ cùm zelo vindicandi honoris Divini quoſdam milites ſuorum ſcelerum argueres, ab iiſdem crudeliter occiſa, candidum virgineæ puritatis Velum martyrii purpura decorâſti. Et coronæ tuæ primos quaſi fructus illico percepêre relictæ in Monaſterio Virgines; dum latrones cæcitate multâſti, qui illas in prædam ſuæ impietatis quærebant. *Defende & me ab infeſtis ſatellitibus principis tenebrarum: profliga illos ad ſuas tenebras, cùm me ad perditionem quærunt.*

Obijt anno 1145.
B. CONSTANTINE Abbas Aureæ-Vallis. Demonſtrâſti aureis ſcilicet moribus, hoc te honore dignum eſſe, quando ex Claravalle ad Monaſterium Trium Fontium miſſus, in erectione illius Aſceterii ſtrenuam operam locaſti. Pedum paſtorale ad arboris naturam fertile fuit: cujus nobiliſſimus fructus in hodiernum uſque diem

diem florentiſſima illa Vallis ad S. Ordinis ſplendorem oſtentat. *Tu Gratiæ Divinæ per tuam induſtriam, & indefeſſos labores cooperando, cœleſtia in te dona auxiſti: ut idem ego faciam, me doce, ne mihi contingat, quod Evangelico illi, qui talentum à Domino acceptum fodit in terra.*

S. BERNARDUS, *ſer. 17. de div.*

Omnes nobis cauſamur deeſſe gratiam, ſed juſtiùs forſitan ipſa ſibi queritur gratia deeſſe nonnullos. Nempe res cordis eſt gratia devotionis iſta, quam quærimus: & hoc munere ipſe ſe fraudat, qui internum ei diſſimulat receptaculum exhibere. Gratiæ cooperandũ.

9. Decembris. 5. Idus.

B. HUGO, Abbas Novi-Monaſterii in Anglia, literarum ſcientia, & morum ſanctitate clariſſime: qui à ſeculi deliciis duce divino Spiritu maturè abſtractus, multis tua pietate occaſionem præbuiſti, ut monaſticam vitam amplecterentur. In præfectura non minùs auſteritate vitæ, quàm excellentia dignitatis ſubditos antecedebas. Ita etiam te non ſolùm Religioſi *Floruit circa annum 1300.*